





1749.

1698 13d 4

Q. F. F. Q. S.

GOTHOFREDI ANTONII, IC.  
DISPUTATIO FEVDALIS IV

De

FEVDI PER INVE-  
STITVRAM CONSTI-  
TVTIONE

Quam

*Cum Corollaris ex Iure Publico,*  
ad ductum Institut. Per-Illustris Dn. de RHEZ  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E

IO. SAMVELE STRYKIO  
I.V.D. & Professore Publ. Ordinario,

D. XVII Sept. A. O. R. MDCXCIIX

Placidæ disquisitioni publicæ submittit

DIETERICVS LEVINVS de KROSIGK,  
Eques Magdeburgicus.

HALAE MAGDEBURGICAE,

TYPIS CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, AC, TYP.



GOTTFRIED ANTONIUS

DISPUTATIO FUNDATA IV

DE FEVDI PER INVE

STITVARAM CONSTI

TATIONE

Cum Corollariis ex Jure Publico

ad Augustinum Per-Justus Dom. de RHE

IN ACADEMIA LUDERICIANA

P R E S I D E

IO SAMUEL ESTYKIO

I.V.D. & Professore Publ. Ordinario

D. XVII Sept. A. G. R. M. DC. XCII

Publice Casu in publico submittit

DIETRICVS LEVINS DE KROSIK

Thomae Magdeburgensis

HABER ANDEBRANCKE

TPIS CHRISTOPH. AMERKE ZEILLER, AC. TP.





## COROLLARIA

*Ex Institut. Iuris publici Ill. Dn. de Rhetz*

Lib. I. Tit. 7.

I.

**E**lectores Ecclesiastici electioni Regis Romanorum interesse possunt, antequam confirmati, vel pallium a Pontifice receperunt.

2. In Electoribus succedit filius primogenitus, etiam aute adeptam dignitatem natus, pariter vt in aliis regnis.

3. Legitimum per subsequens matrimonium, in Electoribus & aliis feudis Regalibus succedere, de iure manifestum. Idem de praxi Imp. & consuetudine asserit Mylerus ab Ehrenbach *in Gamol. Princ. c. 24. n. 2.*

4. Ætas 18 annorum in Electoribus requiritur, vt sessione & voto in Collegio Electorali frui possint. Ad regimen vero suæ ditionis, etiam ante annum 18 admitti possunt.

5. Potest primogenitus renunciare iuri suo succedendi, in gratiam proxime succedentis, non remotioris agnati, vel extranei.

6. In successione nepos primogeniti præferendus filio secundo genito, & hic fratri tertio genito.

7. Extincta linea Electorum acquirentis, ad agnatos successio non deuoluitur, nisi simultanee inuestiti.

8. An pater Elector filio impuberi tutorem testamento dare possit? acriter disputatum. Affirmatiua defendi potest, si alias statui Electorali magnum detrimentum

tum immineat; Extra hunc respectum præualet negatiua.

9. Idem extensum in A. B. germanica versione c. 7. §. 2. ad eos Electoratus heredes die sonst breßhafft. Sed frustra, nam hi plane succedere non possunt d. c. 7. §. 7. Quod si tamen succederent, idem obtinere deberet, ob identitatem rationis.

10. Tutela quæ in Aurea Bulla seniori fratri defertur, hoc deficiente reliquis agnatis competit, inter quos tamen non attenditur proximitas gradus, sed senioratus.

11. Tutor pupilli Electoralis, non semper 25 annorum esse debet, sed interdum sufficit, modo 18. annorum sit.

12. Quoad bona ad Electoratum non pertinentia, pater liberis tutorem testamento pro lubitu dare potest. Dissentit ex parte Limn. ad A. B. c. 7. §. 2. obs. 24.

13. Per pacta confraternitatis conferri posse Electoratus, confirmatione Imp. accedente, manifestum. Sed an pacta inter familiam Saxoniam, Brandenburgicam, & Hasfiacam inita, tali confirmatione gaudeant, etiam quoad successionem in Electoratum? quæstionis est. Defendimus affirmatiuam.

14. Extincto Electoratu, nouum quidem Electorem constituit Imperator, sed non admittitur ad Collegium sine consensu reliquorum.

15. Posse Electorem in ceteris etiam prouinciis suis ius primogenituræ introducere testamento, defendi potest.



DISPUTATIO FEVDALIS IV.  
DE FEVDI PER INVESTITV-  
RAM CONSTITVTIONE.

THESIS PRIMA.

**M**odus feudi constituendi *a* est vnicus *b*, Inuestitura *c*: quam vtut alii præambuli tractatus præcesserint *d*, exinde tamen causa potius seu titulus, quam constitutio feudi dimanat *e*.

a) Longe, si distinctius loqui velimus, *Constituendi modi a modis acquirendi feudi* differunt: Præcedit constitutio; sequitur acquisitio, idque vel tempore, dum non vno vtraque expediuntur momento, vel si vno fiunt actu, saltem natura. Facit quod Gerh. in *c. vn. quib. mod. feud. const.* de feudi tradat constitutione. Obertus vero *c. vnic. in fin. de feud. cognit. & c. vn. de consuet. r. f.* ex Cuiacii editione, de feudi acquisitione. Quos ceu Antesignanos reliqui feudalium consuetudinum commentatores sequi vtpurimum solent. Eguin. Baro *ad tit. quib. mod. feud. constit.* Schneid. *in sua Epit. feud. p. 4. n. 1.* Anton. Contius *in meth. feud. c. 7.* Diss. Hotom. *c. 17. in disp. feud. & in comment. suis ad tit. 1. lib. 2.* aliique quamplurimi.

b) *c. vn. quib. mod. feud. const. pot. Vult. 1. F. 7. n. 4.* Schneid. *d. p. 4. n. 1.* Diss. Schrad. *p. 5. c. 1. n. 2.* Non tamen specialibus locorum consuetudinibus derogatum quicquam volumus, quin Siciliae Curii suum morem, aliique suum relinquimus, ab inuestituræ imprimis abusivæ solennitatibus subalienunt, & assecurationis litteras eius loco substituentem, teste Anton. Capy. *c. feudorum inuestitura, col. 5. §. inuest. in regno, & c.*

c) Alibi inuestitio, *c. vn. si de inv. int. dom. & vas. c. vn. de usu. Mediolan.* Hotom. *in disp. feud.* Quod vocabulum *πολύσημον* est *gl. in pr. Inst. de V. O. in verb. firmum.* Menoch. *conf. 1. num. 24.* nunc ipsam feudi possessionem, *c. vnic. quid sit inuest.* quæ tamen potius est contractui consequens, quam vt illi complicetur: nunc *Instrumentum* super inuestituræ actu memoriae causa consignatum, *der Lehenbrieff / c. vn. de inuest. de rer. alien. fact. c. vn. de notis feud. vers. idcirco.* Moz. *de substantia feud. num. 34.* Intrigliol. *q. 55. num. 73.* nunc, & magis proprie, ipsum inuestiendi actum denotans germ. *die Belehnung / c. vn. quib. mod. feud. const. c. vn. de feud. cogn.*

*cogn. Afflict. decis. Neap. 265. num. 102. & decis. 293. num. 3.* [Dn. Eyben. Elect. feud. c. 5. §. 5.] Sed vocabuli originem hic indagaturi (ne quid sub latebris relinquatur quaestiuncularum) solliciti nimis quaerunt: *Cuinam idiomati, Latinone an genuino* nostro conuenientius respondeat? Cum Cuiac. *ad c. vn. per quos feud. inuest.* & Contio hoc loco ne faciamus, Latinam eius originem asserentibus, Hotoman. in suo diction. nos instruit, a nomine *West* / quod firmum significat, deriuans: Vnde in tit. increbuit illud olim sanctum, nunc factum populare, *Chruwest* / quasi dicat, honoris seruans, & illud *vestigen* / *bevestigen* / *re*. [add. Struv. c. 8. tb. 1. num. 1. Dn. Eyben. d. c. 5. §. 3. Ludwel. p. 139. Add. Iterus. de Feud. Imp. c. 9. §. 3. vbi §. 4. de origine inuestiturarum agit.]

d) Qui vel inter viuos, vel mortis causa fiunt: illo modo vel pollicitationibus legitimis, *l. 3. in pr. l. 4. 6. ff. de pollicit.* id est, lege ad obligationem confirmatis, qualis esset, si ciuitati incendium vel ruinam passæ, feudum promitteretur: vel *conventionibus etiam nudis*, Laudens. *in c. 1. num. 29. de his, qui feud. dare poss.* Vult. *l. F. 7. num. 14 & c. 10. num. 9. Rosent. c. 6. q. 5. num. 3. Diss. Schrad. p. 5. c. 1. num. 9* Hotoman. *conf. 34.* iisque tam gratuitis, donatione scilicet, *c. 1. de his qui feud. dar. poss. c. vn. de alien. feud.* quam onerosis, vt venditione, *d. c. vn. de his qui feud. dar. in f. c. vn. de natura feud.* Permutatione, *c. vn. si de inuest. fuer. controu. feud. §. cum autem, §. si quis, c. vn. quib. mod. feud. const.* Vbi per Cambium, id est, permutationem, feudum accedente inuestitura constitui posse, docemur, Alciat. *lib. 2. par. c. 45.* Hotoman. *disp. feud. c. 17. in fin.* Wesenb. *c. 6. n. 2.* Hoc modo, id est vltima voluntate, quin idem fieri possit, non est qui dubitet. Et enim si in suis bonis alias vsumfructum per vltimam dispositionem constituere cuiuslibet permissum est, *§. ususfr. Inst. de ususfr. l. ususfruct leg. 7. in pr. ff. eod.* quidni in feudum concederet, quod instar vsumfructus est? *c. vn. si de feud. vafal. ab al. interpell.* Si inter viuos: cur coarctanda vltima voluntas? *arg. t. Instit. de leg. Fus. Can.* quam nullibi Feudisticis legibus cohibitam, & ita cursui suo ex Iure Civ. liberrime relictam nouimus, *c. vnic. de feud. cognit.*

e) Tales promissorias & præambulas causas feudi habet constitutio, frequentissime, non vero vsquequaque necessario, vt semper eas in inuestitura præsertim propria adesse opus sit: Cum nonnunquam *haec sola* expediat sine præuio actu, *c. vn. quid sit inuest. & ibi Dd. c. vnic. de conf. r. f.* vbi inductio in possessionem & coram paribus curiæ mentis domini manifestatio sufficit: nonnunquam vero actus illius & inuestituræ *simultanea sit*  
expe-



*expeditio*, Vult. c. 7. n. 12. Quid eiusmodi causæ obligationum importent, & quam validæ sint, hic accerrimus Dd. conflictus exurgit. Quo minus parti præcisam ex obligatione impletionem vrgenti adhaerescamus, hæc facit ratio, quod faciendi inde nascatur obligatio, quarum ea est natura, vt si non fiat, quod promissum est, non præcise ad ipsum factum, sed in id, quod interest, agi queat, l. 13. §. 1. ff. de re iudic. l. 72. vers. Celsus l. 81. in prin. l. 112. §. 1. ff. de verb. obl. Gœdd. in tr. de contrab. stipul. c. 9. conclus. 4. & in specie de feudis idem docent Schrad. p. 5. c. 1. n. 10. & seqq. Rosenth. c. 6. q. 6. n. 8. Vult. l. F. 10. n. 8. Dissen. in genere de qualibet faciendi obligatione, Cuiac. ad d. l. 72. ff. de verb. oblig. Pinell. ad l. 1. p. 3. num. 25. C. de bonis matern. & Andr. Cludius in tr. de sequest. c. 5, num. 106. in fin. Iuratæ quidem obligationi & a Principe factæ plus ponderis tribuit Schrad. p. 5. c. 1. num. 10. & seq. Sed cum iuramentum ad contractus sui, tanquam principalis normam & naturam examinandum sit, & personam exinde obliget: Cumque princeps in dubio præsumatur vt iure communi: limitationes hæc vix est vt recipiamus, Bald. c. 1. §. fin. num. 3. de nov. form. fidel. Præp. d. §. fin. n. 4. Laud. n. 11. Ifern. c. 1. num. 3. quid sit inuest. Schurf. conf. 35. n. 7. & 9. cent. 1. Hartm. Pist. lib. 2. q. 29. n. 24. Nec nobis hic, aliis mota quæstio prætermittenda erit: *An scilicet hic feudi promissorius tractatus parium quoq; interuentum desideret?* Affirmatiuæ renunciamus, cum de iis & Text. & Dd omnino conticescant. Ne & odii, contra R. I. c. odia in 6. extendendi, & fauoris in probationum materia constringendi, nos reos agamus. Diss. Schrad. p. 5. c. 1. n. 14. Paul. de Castr. arg. l. 19. ff. de seruit. rust. prad. l. 7. C. de prad. min. Dec. conf. 39. & 502.

## II.

Inuestitura autem nobis a definietur contractus b nominatus e iuris Ciuilis d bonæ fidei e solenni f feudi concessione constans.

a) *De noua*, scilicet agentibus: alius enim loci pro thesum nostrarum dispositione fuerit, de renouata agere: huius de ea, per quam feudum nouum constituitur: Quamuis etiam in renouatione, quæ aliis nouæ iam antea factæ confirmatio, est, cessio aliqua in esse videatur, Cuiac. ad c. 1. §. si vero Arch. de his qui feud. dar. Vult. c. 7. num. 7. ubi ait.: Constituitur feudum inuestitura, vel id quod non est faciendi, vel id quod est renouando, c. 1. per quos fiat inuest. c. vn. de inuestit. vet. & num. ben. Hic spinosa mouetur quæstio: *Si de feudo ipso iure ad dominum reuerso, denuo vasallus vel eius agnati*

agnati inuestiuntur, nouane an renouata inuestitura habeatur? Illud magis dicendum, propter *l. 4. §. fin. l. 5. de precar. l. 83. §. fin. 5. vers. sed si usque de V. O.* [Vide tamen supra *D. 1. th. 5. p. 33.*] At Emphyteusi antiqua in feudum versa, & de hac inuestitura facta? Nouam esse dicimus ex *c. vnic. qui test. sunt necess. Zas. p. 3. num. 5.*

b) Propter iur. feud. textus, *c. vn. qui success. feud. d. t. c. vn. de forma fidel. ibi vicem reddere, c. vnic. si de feud. def. cont. §. si facta*: magis in specie probari videtur, *c. vn. quid sit inuest. §. vlt.* vbi de pactis inuestituris appositis agitur. 2. propter iur. Civ. rationem: In quocunque enim negotio *mutuum est συνάλλαγμα*, contractum ibi esse necesse est, *l. 19. de V. S.* Tale autem in inuestituris esse multi textus euincunt, *c. vn. de feud. dato in vic. l. com. c. vn. quid sit inuestit. Clar. q. 4. Iason. in pralud. feud. Vult. c. 7. num. 11.* Non recte igitur qui hoc genus definitioni feudi accommodare malunt: cum exinde feudum, tanquam ex sua causa effectum prodeat, *c. vn. in fin. de feud. cogn. quod cur Duareno c. 7. num. 2. & 8. & post Curt. Schr. p. 2. c. 2. num. 1. & 2.* displiceat, causam nullam videmus. [Dissentit, optimis rationibus nixus, Ludwel *p. 139. seq.* atque per traditionem definit inuestituram. Struuius. *c. 8. th. 2.* per actum. Quorum sententia recepta, corrumpunt illa quae Autor in sequentibus adducit.]

c) Certum enim & peculiare nomen, certaue forma a ceteris negotiis differens, huic contractui consuetudine tributa, cum nominatum efficiunt, secundum Curt. *in tr. feud. q. 9. num. 1. p. 1. per l. 7. §. 1. de pact. l. 1. 2. 3. de prescr. verb. Gloss. & Bart. rubr. C. de rer. perm. Clarus in §. feudum, q. 6. Zas. de feud. p. 1. num. 5. Crauetta. conf. 88. num. 9. vol. 4. Bursat. conf. 160. num. 31. libr. 2. Nicol. Euerhard. Jun. conf. 15. num. 2. vol. 1. Diss. Bald. in l. fin. quest. 1. C. quando lic. ab empt. disced. Cuiac. 2. F. 8. Borchol. de feud. c. 9. num. 14. Roland. a Valle conf. 92. num. 62. vol. 2.*

d) Propter formam suam quam non aliunde trahit quam a moribus, qui iuris Civ. non scripti pars sunt, *l. 32. 33. ff. de ll.* Hinc est quod non omnibus utpote hereticis, bannitis permittatur. Quod dici non posset si iuris gentium, cuius communionem habent, esset, vide Vult. *1. F. 11. num. 8. & Menoch. conf. 157. num. 22. lib. 1.*

e) Ascribunt hoc nonnulli personis inter se contrahentibus, frequentiae & utilitati actuum: Illae ut plurimum origine inspecta milites & principes sunt, maxime fauore & honore propter bellicarum rerum experientiam, nostrumque tutelam digni: Ut ipsis concessa ex munificentia, praesertim principali beneficia largissimam merito interpretationem recipiant,

ant, Præp. in c. 1. num. 2. de feud. cognit. Sed firmiori fundamento nos innitentes ex natura cont. bonæ fid. hoc stabilimus: partim ex l. 2. 4. 6. C. de euict. l. 9. in pr. de verb. oblig. vbi in b. fid. iudiciis debetur Euictio, licet super ea nihil conuenerit: quod & huic nostro contractui tribuitur, 2. F. 8. 25. 46. 80. partim ex c. vn. §. fin. de uov. form. fidel. vbi omnis vtilitatis præstatio venire dicitur, quod bonæ fid. contractibus conueniens esse apparet, l. 3. C. ex quib. c. in integer. Duaren. c. 19. num. 4. Curt. p. 1. qu. 8. sub fin. Diff. Aluarot. c. 1. de feud. cogn. Cacher. decis. Ped. 32. num. 14. Mudæus conf. 11. num. 11. vol. 4. Zaſ. p. 1. in fin.

f) Siue possessio tradatur siue repræsentetur, nam & in ipsa in possessionem inductione, aliqua solennitatura licet non tanta, animaduertere est argumenta Vult. c. 7. num. 17. ex c. vn. pr. quid sit. inue. verb. solemniter Quæ autem ista, in sequentibus liquebit.

## III.

Inuestitura duplex est, a) Propria & Impropria, siue abusiua b). Illa inductione in vacuum possessionem siue reali eius traditione perficitur c): Hæc possessionis futuræ repræsentatione d), verbis e) & signis f) interuenientibus adumbrata.

a) Dd. non auersamur diuisionem in inuestituram *veram & præsumptam*; quando vel vere quispiam inuestitus est, vel ex præsumptionibus (puta, quod rei, de qua contenditur, possessor sit; quod dominum probationes deficient, quod iuramentum intercesserit; sententia; temporis longinquitas, aliaque ex fictitii vasalli partibus documenta reperta sint) pro tali habetur & declaratur. Verum cum istiusmodi casus constitutionem feudi cum suis solennitatibus non inducant: sed quasi iam ante constituti continuationem seu acquisitionem operentur, futuram disputationem, suppilare caueo.

b) Vsu in scholis, & a Dd. receptissima diuisio, possessionis & rituum quorundam *accessione vel amisione* a feudistis introducta, licet veritatis amantes valde Vultei hac de re iudicium afficere debeat, quo cum Medæ viam ingredienti ostendere non repudiare suffecerit, præsertim cum moribus & tempore sedem suam inter feudaliam iam fixam habeat, nec textus deesse videantur, c. vn. quid sit inuest. Moz. de substantia feud. num. 35. Clar. in §. feudum, q. 26. nu. 1. Schn. p. 4. num. 3. Wes. c. 8. num. 11. Borch. c. 7. num. 4. [add. Dn. Eyben. c. 5. §. 6. vbi hanc distinctionem reiicit.]

O

c) Nisi

c) Nisi cum Dd. & text. feud. loqui placeret potius, ut ante, *contractum seu ritulum*, ex quo sequitur possessionis traditio, inuestituram diceremus: Cum venditionis ceterorumque contract. exemplo, ad consummationis, non autem perfectionis actum, possessionis traditionem requiramus *text. c. vnic. quid sit inuest.* Moz. *de subst. feud. num. 34.* Borch. *7. num. 5.* Vult. ceterique Feud. *dd. l.*

d) Eguinario Bar. *Civilis dicta, c. vn. quid preced. deb.* Cum dominus, re absente, inuestituram se facere dicit. Quod si in re presenti constitutus, aut res, castrum, fundus, visui sint exposita: utique possessio statim transit, & pro tradita habetur: Oculi enim longae manus instar habentur, *l. 1. §. si iuss. pen. l. quod meo, 18. vers. si vendit. ff. de acquir. poss. [ Pecuniam. l. 79. f. de solut. ]* Andr. de Ifern. *c. 1. quid sit inuest. ibique* Matth. de Afflict. *num. 4.* & Aluar. *num. 7.* Borch. *c. 7. num. 7.* Rittersh. *lib. 1. part. feud. c. 8. q. 6.* Similiter mercium translatio, clauium iuxta horreum traditione facta censetur, *l. 74. de contrah. empt.*

e) Adhibere solitis in ista Curia, non tamen solemnibus & vbique iisdem: Vnde variae proponuntur a FF. formulae: *Vade in possess. fundi: Inuestio te de hoc fundo, &c.* Schrad. *p. 4. c. 2. num. 1.* Moz. *de substantia feud. num. 36.* Et verba Oberti, *c. vn. quid sit inuest. ibi solemniter*, ad integrum inuestiturae actum, D. Vultcio duce, referenda censemus; pridem verborum solennitatibus a foro civ. per Imp. remotis; nedum ut formularum, quam bipennium armorumque suorum fuerint studiosiores Longobardi. *Verbalis* haec aliquibus nuncupatur, quod verbis absque reali possessionis traditione perficitur, cum inuestitura propria non nisi inductione in vacuam possessionem absoluitur, *c. vn. de consuet. re feud. Afflict. d. c. vn. num. 1.* Moz. *d. c. num. 35.* Hinc occurrit dubium inter FF. An constitutum feudum habeamus, *sola eaque tacita in possessionem inductione?* quod negamus, nisi ex obseruatione subsecuta de titulo feudali satis constet, *d. c. 1. in princ. de consuet. recti feud.* Vult. *1. F. 7. num. 16. in fin.* Rosent. *c. 6. q. 1. in fin.*

f) Variis nec definitis, & non huic tantum specie, sed & priori communibus, Aluar. *c. 1. num. 7.* ibique Ifern. *num. 2.* Schenck. Bar. *num. 4. c. vn. de consuet. re feud.* ita tamen, ut ibi ex inuestientis placito, & ex abundantia, hic vero necessario adhibeantur, maxime in maioribus: prout cuiuslibet fert Curiae consuetudo. Vult. *c. 7. num. 41.* Vt plurimum tamen *discreta* sunt, pro rei infeudatae natura & dignitate. Olim in Vandalicorum Episcopatum inuestituris chyrothecas fuisse adhibitas. Crantz. *in metrop. lib. 4.* autor est: ex usu hodierno, fere annulos, baculos, libros a Praelatis: a secularibus

laribus nunc gladios euaginos, hastas, vexilla, praesertim in Ducatum & Regnorum inuestituris: Iacob. de S. Georg. *in tr. feud. verb. inuestiui, num. 9.* in minoris momenti etiam quilibet leuidense adhiberi videmus: Otto Frising. *lib. 2. c. 5.* & Pet. Gregor. *Syntagm. iur. lib. 6. c. 14. num. 7. & seq.* Quae omnia, qualiacunque sint, absentis rei eiusque traditionis symbola sunt, rem ipsam representantia, & de aliquibus necessariis admonentia, sic baculo seu pedo pastorali, ouium; annulo, desponsatae sibi Ecclesiae: pallio Archiepiscopali (pernobilis pecuniarum aucupio, cuius descriptionem & sacros. autoritatem vide apud Sleid. *lib. 4. & 13.* Polydor. Virg. *lib. 4. de rer. inuent. c. 12.* hinc fecere *tit. in decretal. de usu & autor. pallii*) sui admonentur officii. Gladii usum, eoque pro me, si bene imperaui, sin secus, aduersum me utitor, Buchan. *lib. ult. histor. Scot. Petr. Faber. lib. 1. semestr. c. 3.* Exinde & in collatione dignitatum Academicarum; in inauguratione noui Rectoris; Notariorum creationibus (depositionum hic, quibus arriident, Iocularia, addunt) symbola, variis ritibus officia eorum oculis nostris insinuantia frequentari quotannis videmus. Quod veterum Romanorum instituto & more Longobardos imitatos fuisse verisimile est: illi enim, quam superstitiose plerosque suos actus in ritibus & solennibus peregere, multis exemplis ab antiquitate & ll. Rittershus. deducit. Signa autem haec Corporea sunt, oportet, *c. vnic. quid sit inuest. Vult. c. 7. num. 29.* qualia etiam sunt, si confecta super feudis instrumenta tradantur: Rosenth. *c. 6. q. 3. lit. a.* Prolixè Hotoman. *disp. feud. c. 23.* [Conferatur pluribus de his inuestiturae signis Itterus *c. 9. §. 29. & aliquot sequentibus*] Hic quaestio a Dd. mouetur. *Oporteatne utramque inuestituram, propriam & imaginariam necessario & semper celebrari, ut c. vn. quib. mod. f. const.* de vtraque intelligendum sit, & alterutra deficiente feudum non constituatur? Vtrius initium fiat, distinguimus: Si propriae, imaginaria haud indigemus, quae nihil, quod non ante nostrum sit, potest conferre, sine percepto. Sin alterius, missionem in possessionem (quam propriam vocant inuestituram, an hoc casu satis apposite subdubito) ad rei consummationem adhuc desideramus. Iacob. de Beluis. *ad c. vn. quid sit inuest.* Elegans hinc fluit quaestio: An vtraque successiue celebrata, *Parium testimonium indistincte sitiat?* Cum Dn. Vult. facimus. *c. 7. num. 41. in fin.* priori rite peracta, alteram sine eis fieri.

## IV.

Vtraque inuestitura a Domino a, sed & procuratore eius b fieri potest: quemadmodum per eundem & accipi c speciale mandatum habentem d.

O 2

a) c. vn.



- a) *c. vn. per quos. fiat inuest.*
- b) *d. c. vnic. §. 1. vers. sed utrum, per quos fiat inuestit. ibique Dd. c. 1. §. item sciendum, vers. item inuestitura, de notis feud. Io. Blanc. libr. 1. feud. c. 3. num. 24. & seq. Sonsb. p. 9. num. 4. c. vn. §. item inuestitura, de not. feud. Ferr. in formula libell. quo agitur ad reuoc. feud. Hart. Hartm. tit. de feud. obs. 13. num. 1. & 3. Speciale vel nullum mandatum initio procurator habeat, perinde habebitur, modo dominus *ratihabitionem* interponat, *c. ratihabitione*, ibique Dyn. *de R. I. in 6.* Etenim accepta Dd. est sententia, quod quibuslibet casibus, etiam mandatum speciale requirentibus, *ratihabitione* mandato æquipolleat, *l. quod si, 26. ff. de minor. c. f. de iureiur. in 6.* Oldrad. *conf. 119. Ias. l. licet, 24. C. de procur. l. si quis, 25. §. iussum. ff. de acqu. hered.* Haud facile tamen in feudis Imperialibus, quæ per vexillum dari, nobisque *Sahnlehen* appellari solent, procuratorem admittimus. Cum Aurea Bulla Car. 4. *tit. 5.* expresse de his cauerit, vt vel ab ipso Imperatore, vel Rege Roman. conferantur. Cuiac. *c. vnic. de feudo sine culp. v. amitt. circa fin. & idem c. vn. quid preced. deb.* [Dissent. Mauritius. *Decad. 8. posst. iur. feud. 10.* Itterus *d. c. 9. §. 12.* vbi add. text. Aureæ Bullæ respondet.]*
- c) *d. c. vn. vers. sed utrum, per quos fiat inuest.* Paris de Put. *de re-dintegr. feud. c. 148. num. 3.* Rain. *c. 1. §. præterea, num. 21. de prohib. feud. alien. per Frid. Wesemb. c. 8. num. 12.* Sonsb. *p. 9. num. 5.* Dominorum procuratorem admittente res in vado est: at quid fiet si recuset, & *conspetum vasalli urgeat*? Sane si iusta & graui de causa fidelis intuitum velit, in propria persona homagium præstabit; quod a Gallis frequenter receptum testatur, Cuiac. *tit. 4. libr. 2.* Hotom. *in disp. feud. c. 10. de inuest. solem.* Quod & iuri civili scripto propter anceps periurii periculum, *l. pen. §. his ita. C. de reb. cred. l. 2. §. 2. ff. rerum amot. l. 39. §. 1. ff. de procur. propter. l. 123. de R. I.* valde affine est. Sin contra nihil causæ sit, vel inuitus legitimum procuratorem admittet moribus pro vasallo facientibus.
- d) Præpos. *d. ver. sed. utrum, num. 2.* & Laur. Sylv. *de feud. recogn. q. 94. in fi.* Intrigliol. *q. 9. num. 200.* pro generali saltem decidunt: Sed domino hoc casu recte rem differenti quid imputabimus?

## V.

Non solum autem de iam aperto *a* feudo inuestitura fieri potest, sed etiam de eo quod aperiendum speratur *b*, vasallo familiæ & agnationis vltimo *c* succumbente, & feudi caducitatem causante *d*.

a) Quod

a) Quod omnibus illis casibus, quibus a domino feudum nouum constitui potest, eo minus habet dubii, quo magis in aliquibus Curiis, veluti Pomeraniæ & aliis feudum infeudari solitum, & *caducitate ad Principes reuersum, aliis concedere tenentur*, retinendi facultate ipsis ab ordine equestri præcisa, hoc enim Claud. de Seyffel. *in rubr. de his qui feud. dar. ampl. 6. Borch. c. 6. num. 29.* ait, honestius esse, *l. semper in con. de R. I. & auaritiæ speciem habere, bona feudalia mensæ incorporata malle quam aliis concedere.*

b) *c. vn. de feud. dat. in vicem l. com. §. fin. c. vnic. §. moribus, si de feud. def. Gail. 2. obs. 155. Hartm. Pistor. q. 25. lib. 2 Vult. 7. num. 48.* [Itaque non pure, sed sub conditione, si apertum fuerit feudum, valet. Berlich *p. 2. Concl. 54. num. 44.* & ibi allegati. Et vocatur *superinfeudatio* seu *Expectatiua* Germanice: *ein Gnadenlehn / ein Angeföll / ein Anwartschaft / ein Ausgebethen lehen* Struv. *c. 6. th. 4. num. 1.*] Qua spe impleta, tempus mortis vassalli possessoris cum concessæ inuestituræ tempore coniungitur, ac si nunc primum fieret, vt in possessionem vacuam mittere eum dominus omnino debeat? At quid fiet, si interim possessore feudi superstite dominus fatis concesserit? Etiam si *heredum* non meminerint, nihilo secius tenebuntur, *l. veteris, l. fin. C. de contrah. & commit. stip.* obseruata tamen inter clericos distinctione: ille ab antecessorum suorum factis adimplendis liber & immunis; hic vero vt alia præcessoris sui facta, sic & inuestituram semel factam confirmare omnino opus habet, tam si viuo antecessore, quam si mortuo eo feudum sit apertum, *text. in c. vnic. qui success. feud. d. ten. c. vn. qui succes. ten. c. vn. de feud. d. in vic. l. com. item c. vn. §. moribus, si de feud. def. c. vn. de clerico qui inuest. fac.* Ita omnes sentire Tib. Dec. *conf. 24. num. 11. vol. 1. respondet Afflict. decis. Neap. 292.* [Struv. *d. c. 7. th. 9. num. 2. & 3. Carpz. p. 2. c. 45. d. 5. Tabor de obl. successoris in officio c. 5.*] Quod & foro Saxonico, *Lehnrecht / c. 5. 57.* & vsu moderno probatur, illi *ein Gnadenlehn / nobis ein Expectant oder Anwartung / Gailio teste, lib. 2. obs. 155. num. 2.* dicente, *So einer der letzte seines Namens und Stammens ist / kan dessen Lehn von dem Lehnherrn außgebetten werden / und einem andern die Anwartung verkündet werden.* Schurff. *conf. 59. num. 1. cent. 2.* Hartm. Pistor. *2. quest. 27. num. 15.* In diuersitatis rationem indagandam nihil desudabit, qui diuersum successionis ius vtriusque fori, Ecclesiastici & secularis exploratum habet: ibi iure electionis, hic plerumque iure hereditario ad gubernationis clauum sedemus, vt quod heredem decet, defuncti vices lubentes sustineamus, quibus contrauenire volentes ne

quidem possemus, *l. cum a matre, 14. C. de rei vindic. l. ex qua, 149. ff. de R. I. l. ex contractib. ff. de O. & A. l. 3. C. de reb. al. non alien.* Ut sane non tam in qualitate personarum, quam in qualitate successorum, discriminis causa latitare videatur. Unde est, quod & Imperatori ex septemuirorum [Hodie Nouemuirorum] succedenti electione libera relinquenda sit potestas vel infirmandi vel confirmandi eius quod ante actum est: [Nisi expectatiua in feudo regali, ab antecessore cum consensu electorum, alicui concessa, quam infirmare non potest, sed approbare tenetur Itterus. *c. 10. §. 3. & quos pro sua sententia citat.*] Quod ad alios quoque iure electionis succedentes pari ratione extendendum erit, Rosenth. *c. 6. q. 17. num. 2.* [add. Grotius. *de iure belli & p. l. 2. c. 14. §. 10. seqq.* & ibi commentatores] Multis dubiorum tricus initio inuestitus facili negotio eximet, nempe si capituli consensum adhibuerit, Rosenth. *6. concl. 16. num. 7.* Hartm. Pitt. *d. q. 27. num. 15.* [tum enim, vtet si vtilitas ecclesie id exigat, successor Ecclesiasticus tenetur Struv. *d. c. 7. th. 9. num. 6. seq.* aut Expectatiua ab benemerita erga Ecclesiam concessa: Schrader *p. 3. c. 2. num. 38.*] Dissent. Fachin. *7. controv. iur. 29.* aut si possessoris etiam nunc viui voluntate in possessionem missus sit. *d. c. vnic. qui success. feud. dare tenentur.* vide Fachin. *d. lib. 7. c. 30.* [Possessionem enim quam expectiatus ab Antecessore adeptus, successor reuocare nequit. *1. F. 3. Struv. d. l. num. 8.*] Vtri vero fiscum bonorum publicatorum legitimam successorem accensebimus? Licet huius causa fauorabilis sit maxime, tamen *all. l. ex qua persona, 149. ff. de R. I.* non transcendet, sed laici iure erit. Rosenth. *6. concl. 17. num. ult.* Alia etiam hic loci se prodit non inelegans quaestio: Anne eiusdem iuris viuentis vasalli agnati inter se habeantur: vt & illis in casum aperturæ pacisci inter se liceat? Sane vix erit vt Legista quispiam ad quaestionem hanc non ingeminet, *l. licet. l. pactum, quod dot. l. fin. C. de pact. l. stipulo hoc modo. ff. de verbo. oblig.* Et Ganonista *ex c. quamuis de pact. in 6.* non occlamet, bonis moribus aduersari, & captationem mortis tale pactum inducere: quibus etiam Placentinorum curiam motam fuisse Gerhardus *in c. vnic. §. si quis de feudo dato in vic. l. testatur.* Nos tamen in textibus supr. adductis, Iure Sax. & approbato vsu nos fundantes, minime agnatis hoc denegandum putamus: tum quod ratio non diuersa, tum quod magis de defuncti primi scilicet acquirentis bonis, quam viuentis hereditate actus celebrari censendus sit, qualis nec Iure civili reprobaretur. Franc. Bursat. *cons. 136. vol. 2. & Cogn. in d. l. fin. num. 136.* In ratione adducenda varii sunt interpretes. Aliqui adductas leges ad successionem & pacta rerum mere alienarum, qualis hæc vtpote a primo acquirente



rente causam habens, non est, restringunt, Andr. de Ifern. c. 1. num. 3. qui succ. ten. & ibid Afflict. num. 6. Bald. d. c. 1. §. si quis. Quasi de iuris iam quæsti exercitio futuro, non futura hæreditate pacti esse videri possunt. Nos conuenientius hoc motibus, pro rei & personarum qualitate istud in feudo approbantibus tribuendum censemus. §. morib. c. unic. si de feud. def. Cum votum captatorium in re certo euentura, nec ex possessoris dispositione interuersioni obnoxia, in Christiano homine vix metuendum veniat. Vult. c. 7. n. 48. Diss. Schurf. inter conf. Mod. Piff. consil. 8. num. 5. & seq. vol. 1. & latissime Ioan. Dauth. ad l. fin. C. de pact. a nu. 37. vsque 197. Ludwel. c. 8. p. 163. At quid dicemus, ubi inuestitura conceptione verborum tali facta est: Si mihi vel nobis feudum apertum fuerit, aperiatur autem demum post mortem? Voculam hanc non tutum præbere succedentibus receptaculum & negationis causam, sententia est æquior & ante nos recte propugnata per l. stipulo, 38. §. sicut autem. ff. de V. O. Bart. in l. si seruus, in prin. de cond. furt. vide. Piff. q. 26. num. 8. Quid, vbi inuestituræ tenor sic habet: Si me viuo aperiatur? Voluntatis quæstio est, & extra probabiles coniecturas, conditio ob mortem eius cessans, obligationem facit cessare. Insuper adhuc super caducitatis inuestitura quæstionis est: An pari solennitate sit peragenda, an vero non desideret parium præsentiam? Hoc Hartm. Piff. p. 2. q. 30. placet, quem nisi de promissione super re in feudum danda interpretemur, quam parium testimonio non indigere verius est, Rosenthalio ad stipulari malumus. c. 6. concl. 6. num. 4. Cuiac. c. 1. §. si vero, verb. si rationib. clar. Hactenus hæc ita, si vnus inuestituram expectatiuam acceperit; at pluribus de eadem re inuestitis quid iuris? Si simultaneam inuestituram dominus concessit, prælationis non mouebitur quæstio. Alias vter præferendus re posteriori tradita, ventilatum publice ante nos fuit, & ex hypothese thesæ nostræ vltimæ lit. a. pendet. l. 15. C. de rei vind. Mynf. 4. obs. 61. Aluarot. in c. 1. [sc. Possessor est potior Struv. d. l. tb. 7. n. 2. Dn. de Rhez in comment. p. 168. seqq. Itterus c. 10. §. 4.] Quod adeo verum, vt licet protestetur inuestiens, quod velit priori ius suum saluum manere, idem tamen obtineat Ifern. in §. si facta, num. 3. & ibid. Laud. n. 2. Aluar. n. 9. Zas. p. 6. num. 13. Borch. c. 7. n. 16. Siquidem nulla actio qua aduersus tertium experiat, parata est: non personalis, quia cum eo non contraxit: non realis, ius enim in re nullum habet, vt talis potestatio præiudicium secundo inuestito gignere non debeat. Moz. de substantia feud. n. 36. vers. quin etiam argumento l. 1. ff. communia prædiorum. Ifern. quem allegat Aluarot. in d. §. si facta. Vbi autem possessio in neutrum translata?

lata? Antefero primo inuestitum, *l. in operis, ff. locati. Ias. in d. l. quoties, 15. n. 34. Pist. q. 29. num. 1.* nisi hic de incerto, posterior autem de certo aliquo feudo esset inuestitus. *Pist. d. quest. n. 7. [Carpz. P. 2. l. 45. d. 4. num. 7. seq. Struv. d. l.]*

c) Vel agnatis quidem superstitibus, sed tamen feudum eius sit naturæ: forte non radicatum, vel ex pacto tale, vt in eos non deuoluatur. *Vult. c. 7. n. 48.* Vnde dicendum videtur, quod si liberos procreatos habuerit vasallus, feudum eius sub caducitatis lege alteri concedi nequeat; *gl. in c. vn. §. si quis, def. d. in vic. l. & ibi Dd. communiter, qui spem præsumtam de proximo futuræ caducitatis requirunt. Quibus se acrem oppugnatorem præbet Pistor. q. 25. num. 19. & 20.* Cuius rationes penitus examinatas communem subuertere non patiemur. vide *c. 1. §. fin. de feud. dato in vic. leg. commiss. c. 1. §. moribus. si de feud. defunct. fuerit controu. inter dom. & agn. vasal. Fachin. 7. controu. 28.* [Imo videtur Pistoris sententia præferenda, quia sufficit quod expectatiua prius effectum non habeat, quam si successor nullus adfuerit. *Ludwel. p. 162. Struv. d. l. th. 5. n. 10. Dn. de Rhez. in comment. p. 170. n. 2.*] Quid vxore prægnante? Idem ex theoria iuris dicendum, quia de eius commodo agi quodammodo apparet. Quid item si liberos post inuestitionem hanc vasallus procreet, anne quasi nunquam facta, ex templo extinguatur? Negantium sententia contrahentium voluntati magis respondet, modo ante patrem vita defungantur: Sin autem pater eos reliquerit superstitibus, inuestituram expirare concedendum est, ita vt nihil ab heredibus interesse loco peti possit. Ita tribunal etiam Saxon. iudicat. *Pist. q. 25. n. 15. & seq. Vult. 7. n. 50. [Ludwel. p. 163.]* Quid item si relinquat quidem liberos, sed non nostri sexus? Feudi quidem foeminei euanescere hic faciet inuestituram; in aliis (quippe regulariter incapax) respectus eius nullus est.

d) Ob aliam causam si fiat caducum, quid statuendum sit, primo intuitu non apparet, variantibus inter se mente & calamo Dd. Et inuestitura in mortis casum concepta alium casum excludi pro sua autoritate *gl. decidit, c. vn. qui succ. ten. nec plerique Dd. ibi. & in d. §. moribus. alieni sunt, requirentes, vt in forma specifica conditio impleatur, p. l. Mæuius, ff. de cond. & dem. quos noue sequitur Pist. q. 25. in fin. [Eiusdem sententiæ sunt Struv. d. l. th. 5. n. 7. Dn. de Rhez. disp. 170. n. 3. Carpz. P. 2. C. 45. d. 3.]* sed vt contrariæ *Vultei d. c. 7. n. 52. sententiæ suffragemur, momenta rationum ibidem allatarum in causa sunt. [Ad hæc vero argumenta fuse respondet Struuius cit. l. vt sic illa sententia merito præferenda sit.]* Indefinitæ

finitæ inuestituræ sub spe caducitatis factæ vim vniuersalem cum Rosenth. *c. 6. conclus. 19.* tribuimus. Hanc expectatiuæ inuestituræ naturam elegantiam quæstione, eaque lucrosa, claudemus. Anne, si inuestitus modo prædicto vasallum possessorem morte anteuertat, spes hæc ad heredes transitoria sit? an vero legati instar. *l. 1. §. 14. vt legat. n. cau.* morte protinus euanescat? Hoc Glossa *in c. vn. qui succ. ten.* Illud Ifern. Bald. Matth. de Afflict. & alii *in d. c. Pist. q. 25. nu. 18. Vult. nu. 51.* [Struv. *d. l. th. 8. n. 4. & 2.* Carpz. *p. 2. c. 45. 6. 9.*] probant: Quibus nos merito subiicimus *propter. l. ceteris. & l. f. C. de contrab. & com. stip.* securi in tantorum virorum fama.

VI.

Actus hic inuestituræ testes *a* requirit idoneos, minimum duos *b*. Solum autem pares Curia pro idoneis reputantur *c*, si haberi possunt: quod si minus *d*, admittimus extraneos *e*, non prohibitos *f*.

a) Cum vtriusque vel saltem alterutrius gratia testium hæc adhibitio fieri videatur, quæstionis initio est, an pacto vel renunciatione a numero vel qualitate eorum recedi possit? Negatiuæ firmiter assentimur. *arg. l. 28. in pr. ff. de pact. l. nemo potest, 58. & ibi Dd. de leg. 1.* Bart. & Dd. *in l. pen. C. de pact.* Attamen & sine renunciatione testibus prætermisissis, qualis obligatio, an saltem naturalis exsurgat, dubitari a nonnullis hic videmus? nec immerito, cum nuda pollicitatio seu promissio teneat, & firmam obligationem inducat. Sed hoc non obstante, ne quidem naturalem ex eiusmodi inuestitura oriri obligationem defendemus. Bald. & Affl. *c. 1. in pr. vers. quæ siquidem quid sit inuest. argumento l. non dubium, 5. C. de ll. l. 46. & ibi Bart. ff. de fideiuss.* [Cum tamen naturalis obligatio ex solo consensu oritur; hinc non immerito quis priorem sententiam præferat.] An vero traditione nihil roboris accedet, cum ea dominium alias transferri soleat? Nihil omnino. Affl. *d. c. n. 8.* facit quod Bart. Alex. Iaf. *in l. 1. §. si vir. ff. de acquir. poss. tradunt.*

b) *c. vn. ibique Dd. quid sit inuest. c. vn. §. quod autem, inf. de not. feud.* Dualitatis huius ratio a Cuiac affertur. Et paribus non existentibus, totidem sufficiunt extranei, modo fidei exploratæ & autoritatis spectatæ sint, vt meliores vix reperire fuerit, *d. c. vn. de not. feud.* Rei grauitas & momentum, quod hic agitur mouit aliquos vt plures adhibendos voluerint, *arg. l. vlt. vers. cum enim. C. de fideic.* Sed necessitatem ne nobis faciant, qui consultius id futurum damus.

P

c) Te-

c) Testes itaque pares non tantum ad probationem, sed magis ad substantiam & solemnitates actuum, si subsistere debeant, interuenire est opus. *c. unic. quid sit inuest.* Wesemb. *c. 8. n. 14.* Duaren. *c. 7. nu. 3. def. per c. vn. qui test. s. nec ad nov.* Rittershus. *lib. 1. partit. feud. c. 9. quest. 2. in fi.* Diss. Accurs. *ad d. c. qui test.* Ant. Cont. & alii. Alia quod attinet negotia, quibus non prohibiti accedent, *l. 1. ff. de test.* hic præcise pares, Schrad. *p. 5. c. 3. nu. 9.* Siue reuera tales sint, siue hominum opinione. Vult. *7. n. 23.* Aluar. & Præpos. *c. 1. in fi. qui testes s. nec.* [Diss. Ludwel *c. 8. p. 146.*] Sunt autem pares Curiaë seu Curtis, *c. vn. si de inuest. feu. controu. fuer. §. 3.* eiusdem senioris seu domini in eodem territorio conuasalli, Ifern. *in c. 1. n. 1. de controu. f.* Duaren. *c. 7. n. 3.* Diuersum territorium vnius domini, dispares facit Curias, nec conuasallos, licet ab eadem manu omnes beneficium acceperint: Mynsing. *cent. 4. obs. 89. in fi.* Ita dicti, quod respectu inter se & beneficii ab eodem dominico fonte profluentis pares sibi inuicem sint: qui ipsi, Domini intuitu, dispares & inferiores. Wef. *c. 17. n. 3.* Sonsb. *p. 14. n. 2. & 4.* Vult. *c. 7. n. 25.* Duar. *c. 7. n. 3.* Meminerimus autem de noua inuestitura nobis sub manibus negotium esse. Renouatam siquidem coram extraneis recte expediri, iuris expediti est, *c. vn. qui test. s. nec. ibique Dd.* Diuersitatis rationem *ex c. vn. §. iccirco de not. feud.* desumemus. Ne scilicet quid ab extraneis excogitetur falsitatis in perniciem domini. Cuiusmodi suspicioni, primæ exemplar, iuxta quod renouatio omnis fieri debet, cæteras eximit Sonsb. *p. 9. n. 12. & 13.* addit, & domini & vasalli interesse non habere consocium parem Curiaë discolum. *arg. c. graue nimis, ext. de præb.* Bald. *in c. 1. quid sit inuest.* Num autem parem omnino in iis dignitatem requiramus: ne inferior in superiorem forsitan iurisdictionem exerceat? Non sane, quod & Fachin. *7. controu. 102.* non displicet. Vix est, ut domino cum vasallo conueniente, & inuestituram rite factam confitente, litigium suboriatur: Possessione feudi itaque in vasallum sine paribus translata, quasi feudum, quoad vixerit, teneat, ad heredes nihil transmittet. *c. unic. quib. mod. feud. constit.* Sed si postea vel confessionis eum poeniterit; vel heredes eam factam denegarint; vel pares eum non admiserint, possessione illa penes dominum vel tertium hærente quid dicemus? Scilicet præcedentem illam domini confessionem nihil obesse, quin, ut nulla ab initio fuit, sic manere: *arg. l. quod ab init. de R. I. l. que res, §. artem, ff. de solut. l. si ancilla in fin. pro soc. c. non firmatur, de R. I. in 6. si Dyn. Schenck. Baro. num. 2. Aluarot. num. 4. Præpos. num. 6. in c. vn. i test. s. necess.* Diss. Curt. *p. 2. num. 25.* Matth. de Afflict, *ver. qua siquidem*

dem, num. 11. quid sit inuest. Numne erimus æquiores, si non tempore factæ inuestituræ fuerint, sed post demum facti sint pares? Nihil. Glossa & Dd. in c. vn. qui test. s. nec. Vult. 7. num. 23. Schrad. p. 5. c. 2. num. 8. Aluar. in d. c. qui test. Diff. Ifern. c. 1. num. 3. an remouendi er. test. Masc. de prob. concl. 942. num. 19. Vice versa si tempore probationum pares esse desierint, vel legitime vendito, vel ob feloniam amisso feudo, anne idem dicendum: Non dixerim, cum ei, qui id quod leges voluerunt, executus est, amplius nihil imputari possit. Cuiac. c. vn. an remouend. er. test. Imperatoriæ personæ legum capistra nolumus iniecta, cum legibus maior sit, l. 11. ff. de legib. nedum vt solennitates ipsi remoram faciant: l. 14. §. 1. de manumiss. l. ex imper. C. de testam. [Conf. Itterus d. c. 9. §. 35. in fin.] sed ita, si constet, contra solennitates illas agere voluisse, Rosenth. d. concl. 2. num. 2. & 4. alias in contractibus se iuri scripto accommodasse censebitur, arg. l. digna vox. C. de ll. In causa iuramenti, quod loco patrium acceptat, valde religiosus est Schraderus p. 5. c. 2. num. 10. & 11. cum iuramentum defectum solennitatum supplere dicatur, arg. auth. sacram. pub. C. si aduersus vend. Afflict. c. 1. §. item sacram. in gl. 4. num. 61. de pac. iureiur. firm. Abbas c. cum contingat. Nos cum Vulteio c. 7. n. 23. iudicium suspendimus, & quid dicendum sit in disputatione videbimus.

d) Parium inhabilitas excusationi ne erit domino eos prætereunti? Qui non esset, cum paria sint non esse & inhabile esse? arg. l. 6. & ibi Iason. ff. qui satisd. cog. Afflict. c. 1. in pr. num. 23. de consuet. r. f. argumento l. vt gradatim, 11. §. ff. de muner. & honor. Sed & parium defectus, si hoc feudum e sua Curia primum exeat, vel exeat secundum; Bald. & Afflict. num. 4. vers. quæ siquidem, quid sit inuest. Quo casu extraneo cum vnico pari testandi facultas est: vel habeat quidem, sed iustis ex causis interesse prohibentur, arg. c. 1. quid sit inuest. in pr. ver. quod si iurare: vel etiam recusent. Quo tamen casu tergiuersantibus a domino iurisdictionem in eos exercente, multam imponi existimatur communius. Schenck. Bar. ad c. 1. quid sit inuest. num. 6. arg. l. 1. ff. si quis ius dic. non obt. per gloss. d. c. 1. §. si enim domino. Mart. Laud. c. 1. uum, 26. Aluar. num. 7. Præpos. & Bald. ibid. Masc. conclus. 942. num. 8. Si tamen iudicium hoc pœnale, rei moram & exinde noxiam allaturum sit, alii vocandi obsequentiores, vel etiam extranei, si illi desint: Aluar. num. 7. Bald. & alii in d. c. 1. quid sit inuest. Vult. num. 27. Excusationem tamen paribus præstat longa itinerum iutercapedo, præsertim propinquieribus idoneis existentibus, Schenk. Baro. c. vnic. quid sit inuest. num. 6. cum parcere remotioribus, tali casu æquitas domi-

no suadeat. Quantum autem in absentia parium liceat, dissona est Dd. opinio: Trinam citationem ad eos emittendam, & aliquandiu expectandos esse, cum communi statuimus. *c. vn. de consuetut. re. feud. §. nec dicitur.* Sonsbec. *p. 9. num. 19.* Quod ex æquitate cum Scenck Baro ita moderamur, nisi in remotissimis degant locis, & dominus vasalli usu summopere indigeat. Aluar. & Præpos. *c. vn. quid sit inv. num. 9.* Bartol. *l. 2. C. de naufrag.* [Struv. *d. th. 5. num. 2. in fin.* Add. Ludwel. *p. 143.* vbi plures Dd. sententias adducit.]

e) Per *c. vn. §. si vero, quid sit inuest. c. vn. §. quia de consuet. 2. f. c. vn. de not. feud.* Necesitas enim solemnitatibus iuris non regulatur. *l. 28. C. de test.* Circa clericos intricata & multum disputata hic nos inuoluit quæstio: Vtrum illi pares negligendi copiam habeant? Communis sententia affirmatiua est, cui vt & nostrum calculum demus, facit textus. *c. vnic. si de feud. def. vers. hæc omnia,* vbi ita inquit Gerh. In clericorum feudis pariter accipiuntur pares & extranei, quia cum clerici quosdam de feudo inuestiunt sæpe absconse, &c. Sonsbec. *p. 9. num. 19. de feud.* Wesemb. *c. 8. num. 14.* Borch. *num. 28.* [Optima sententia, adhibendos Pares & extraneos simul. Struuius *c. 8. th. 5. num. 3.* Plures hac de re sententias recenset Ludwel. *c. 8. p. 149.*]

f) Quales regulariter in feudis æstimantur foeminae, serui, *c. vnic. si de feud. def. c. vn. quid sit inuest. c. vnic. qui testes s. n. c. de not. feud.* Rittersh. *c. 9. q. 2.* Hic enim maxime illud Modestini in *l. 2. ff. de testib.* locum habeat: In testimoniis dignitas, fides, mores, grauitas examinanda erunt. Commodum nunc se ingerit quæstio; Anne, vt pares, sic scriptura inuestiturae substantiam concernat? In probatione quidem ei magnum pondus tribuimus, & multum ad redimendas controuersias eam confecisse conducit; adeo vt ex usu in plerisque etiam frequentetur Curiis: attamen infra substantiam eam ponimus. *l. 17. C. de pactis, c. vn. qui test. s. necess.* Sonsbec. *p. 9. num. 23. 24. & seq.* Aluar. *c. 1. num. 4.* & ibid. Præpos. *num. 5. c. vn. quid sit inuest.* Wesemb. *c. 8. num. 31.* Si tamen vt fieret, conuenit: perfecta non censetur inuestitura, antequam scriptura sit. *l. contractus. C. de fid. instrum.* Vult. *7. num. 42. §. sed hos quidem, l. de empt. & vendit.* Hæc scriptura metonymice inuestitura dicitur, proprie magis eius instrumentum, *c. vn. §. idcirco de not. feud.* Feudistis non semel breue testatum *l. F. 2 §. 1. & simil.* Quod Rosenth. *c. 6. conclus. 4.* documentum est, sigillo domini corroboratum, eo quod breuibus fiat verbis, *c. vn. quid sit inuest.* Hoc an pares, vti ipsa inuestitura desideret, non omnium est consensus:  
Casibus

Casibus ante relatis affirmans sententia arridet, *c. 1. qui test. s. nec.* [Ludwel. p. 151.] An item eorum subscriptionem: Controversum id fecere Feudistæ, *c. vn. qui test. s. nec c. vn. quid sit inuest.* Borch. 7. num. 28. Vult. 7. num. 42. Alterutrum eorum sufficere arbitratur Rosenth. *c. 6. concl. 4. l. c.* Vbi æquiparanda putat testem esse & subscribere. Hæc ita, nisi paribus, coram quibus inuestitura peracta est, iam digressis, post aliquod interualum in breue testatum fuit consensum: tum enim domini appositum sigillum sufficere videtur.

## VII.

De substantia inuestituræ hætenus, nunc de modo & accessoriis superest dicere *a.* Inuestitura igitur omnis fit vel pure *b* vel in diem *c*, vel sub conditione *d*, eaque honesta & possibili *e*, cui, vt omnibus aliis contractibus, pacta *f* licet in continenti apponere, legibus non prohibita *g*.

a) Parum enim ad substantiam spectat, differat dies obligationem, an statim cedat: Nec minus suspensiva inuestitura etiam ante conditionem euenientem, inuestitura est, quam ea, quæ a modo pureque obligat. Vult. *c. 7. num. 44.*

b) Quo casu fidelitatis iuramento præstito, eadem die, sine aliquo laxamento, vt tradatur, agi potest. *l. 118. §. 1. ff. de V. O. §. 2. Institut. eod. vbi Cuiac. in not. poster. & in l. 41. §. 1. ff. de V. O. Donell. ibid. n. 31. & seq.*

c) Qui ex partium conuentione certus vel incertus est, illo casu statim nata obligatio est, ante diem ramen peti nequit. *§. vlt. I. de inut. stip. §. 2. Institut. de V. O. l. 138. ff. eod. l. 2. §. 6. de eo quod cert. loc.* Quod a riuulis iuris ciuil. in ius feudale manat: hoc casu ab initio non existit obligatio, sed instar conditionis, existitura speratur. Et de feudo alterius viuentis sic fiat oportet, quæ pure facta nullius habebitur momenti. *c. vnic. qui success. ten. c. vn. §. vlt. de feud. d. in vic. Pistor. p. 2. q. 25. n. 12. Vult. 7. n. 46. per l. si rem, 31. ff. de V. O.*

d) Quæ ex sui natura actum suspendit & futurum respicit Vult. 7. n. 44. De huius specie insigni, quando in casum mortis quispiam inuestitus est, thesi quinta abunde satis vidimus.

e) Tale quid est vel ex iure, vel facto: Vtroque confestim vt cæteri contractus sic & hic vitiatur. *§. impossibilis. §. pen. Institut. de inutil. stipul. Rosenth. c. 6. & c.*

f) Alibi inuestituræ tenor dicitur. *c. vn. quid sit inuest. c. vn. casus quib. factum.* Item pactio, *c. vn. ut vas. sumpt.* Qui tenor omni feudo-

rum naturæ derogare solet. *c. vn. de duob. fratr. a capit.* ibique Bald. Idem in *l. 1. C. de lat. liber. toll. Laud. c. vn. num. 5. de his qui feud. d. Borch. c. 1. num. 25. Roland a Valle. conf. 67. in pr. vol. 1. & conf. 41. num. 3. vol. 2. Afflict. decis. 265. Pistor. p. 2. quest. 41. num. 28. [vide supra *Disput. 1. th. 1. lit. M.*] Quem ex natura inuestituræ non restringere, sed indefinite, prouti verba sonant, interpretari conuenit. Bald. *conf. 251.* [H. Pistor. *l. 2. qu. 1. num. 4. Rosenthal. c. 12. num. 2. seq. Conf. Struuius c. 2. th. 6. 7. 8. 9.*] Si tamen contra communem feudi naturam quid placuerit, id fere stricte sumetur. Schrader. *c. 2. num. 28.* Plerunque pro vasallo contra dominum, utpote, qui explicatius debuit dicere. Rosenth. *6. concl. 28. lit. e.* Quid si per eum iuri derogetur communi? Recte, si sit clarus, ambiguus enim ex mente primū, de qua si non constet, ex curiæ consuetudine, ex generali feudorum; demum ex iure communi interpretationem sumet, & ita res componenda, ut gradatim quam minime a iure quolibet recedatur. Rosenth. *all. 11.* Non parum etiam ad renouationes hic facere solet: Rosenth. *6. conclus. 69. num. 4.* quarum basis & radix Commentatoribus dicitur. Bald. *c. 1. col. 2. de eo qui sibi vel her. Castrens. consil. 142. lib. 2.* Rosenth. *6. concl. 69. lit. g.* Ut secundum eum omnes insequentes renouationes fieri soleant. Nec parti, invita altera; nec utraque consentiente, agnatis aliquod præiudicium ex eius alteratione fieri concedendum est per gloss. *ult. in l. 3. §. bonorum, de bon. possess. l. 2. §. merito. Ne quid in loco publ. Castrens. conf. 72. num. 2. vol. 2. Curt. p. 1. q. 7. num. 29. & seq. part. 2. de feud. laicor. n. 57. & seq. [Arum. *disp. feud. 1. th. 11. Struv. c. 1. th. 11. n. 3.*] Ut quod nautis laborantibus cynosura est, nobis sit in angustiis & renouationibus inuestituræ tenor. Goedd. *in disp. feud. disp. 3. th. 24. Schneid. p. 4. n. 32. Moz. p. 5. n. 60. & p. 6. n. 23.* Pacta autem varia & iure indefinita sunt, spectant tamen omnia vel inuestituræ substantiam, vel eius adminicula: quorum hæc ex conuentione mutationi obnoxia, illa, re salua nequaquam Vult. *7. n. 55. ver. sed sent.* Quid ergo ubi expresse conuenit, ne fidelitas præstetur? Distinguenda vocis homonymia erit: Pro fidelitatis iuramento quando accipitur, uti *c. vn. per quos fiat inuest. §. fin. c. vnic. §. 1. que fuit pr. c.* res caret dubio, & pactum ratum est. Moz. *de accid. feud. n. 32. 33. Intrigl. quest. feud. 11. n. 14. & seq.* Quando ipsum vasalli affectum & fidem denotat, die *Lebenspflicht/das er dem Herrn getreu und hold seyn wolle* irritum est, *c. vn. per quos fiat inuest. §. fin. Moz. de subst. f. n. 1. & 20. Curt. Iun. p. 1. q. 7. inf. Borch. c. 1. n. 1. Intrigligol. quest. f. 2. n. 13.* [Ipse tamen actus subsistit, sed non feudum est quod constituitur Struv. *c. 2. th. 6. n. 6.*] Et quid si rei mobilis feudum constituatur? Triuia hic occur-**

runt,



runt, & quælibet via suos habet pedites, nisi tamen rei immobili æquipolleat, vix tale pactum ratificabimus, *c. vn. def. cognit. c. vn. Imperatorem feud. amit. §. fin.* Quid item si super solennitatibus feudorum non interponendis pactum fiat? *ex lege 38. ff. de pact. l. 55. de leg. 1.* aliisque respondebimus: Privatorum pactis ius publicum immutari non posse. *Vult. c. 7. n. 55. vers. ex quib. iam.* Pacta quod attinet super feudi adminiculis, qualia sint, etiam Curia insueta; consuetudini & iuri communi feudorum contraria nobis in vigore sint. *c. vn. quid sit inuest. §. præterea. c. vn. de feud. non hab. propr. ibi qualitercunque, ibi Dd. Moz. de accident. f. num. 2. 20. & seq. Rol. a Vall. cons. 16. num. 8. vol. 3. Vult. 7. num. 55. vers. pacta autem.* Paciscatur itaque, cui lubeat vasallo, ne vllum præstetur seruitium: vt præstetur domini sumptibus. *Rosenthal. c. 8. concl. 4. & seq.* Vt annum quid loco seruitiorum detur: vt coram domino testudine ludat; vxorem festis diebus comitetur. *c. vn. quid sit inuest. §. præterea. Andr. de Ifern. & Aluar. in c. 1. §. fin. quid sit inuest.* Vt vel ipse vel substitutus hæc omnia peragat. Sed age si de substituto nihil exceptum sit, & tamen dignitas superueniens sordidum aliquod seruitium faciat, quomodo id exsequetur? Recte id minus honorabili substituto committet. *l. non similitudinem. C. de episc. & cler. d. c. vn. §. præterea. Moz. d. loc. num. ult.* Paciscatur porro in descendendum, non masculorum tantum, sed & foeminarum gratiam. *c. vn. §. hoc autem. 3. de his qui feud. dar. poss. c. vn. Episcop. Abb. & c. §. quando etiam. c. vn. §. fi. de success. feud. Moz. & Pistor. p. 2. q. 20.* Nec tantum legitime natorum, sed & legitimatorum: etiam vt se mortuo ad ascendentes, *c. vn. de success. feud. ad collaterales, d. c. & c. vn. de feud. March.* etiam quoscunque alios extraneos voluatur: Vt indiuisibile, vel contra, diuidatur: (Quod citra pactum, ex inueterata consuetudine Germania hæcenus, contra constitutionem Imperatoris Friderici *in c. Imperialem, §. 1. vers. præterea ducatus, de prohib. feud. alien. per Frider.* contraque Gallia & Anglia morem in Principatuum diuisionibus obseruauit.) Paciscatur vt nouum naturam veteris habeat, & ita agnatos admittat: Quod an citra horum consensum? Vtique, cum postmodum repudiare liceat succedere nolentibus. *Curt. iun. p. 3. in pr. num. 2. Cuiac. lib. 4. feud. tit. 31. in pr. Moz. de accid. f. num. 6.* De pacto autem quid dicemus, quo primi tantum matrimonii liberis, vel contra, his reiectis, tantum secundi succedere permittitur? Idem quod de huius generis omnibus. *arg. l. 1. §. si parens. ff. si quis a par. manum. §. fin. Inst. de legit. agn. success. c. vn. de filiis natis ex matr. ad morganat. Sonsbec. p. 9. num. 51. & seqq. Diss. Iacob. de feud. in ver. & vnus per l. si, quando, §. 1.*

*C. de inoff. testam. l. si. ff. de suis & legit. Moz. de accid. feud. num. 42.* Huc & alienationis pactum referas, vt sine nouo consensu in quemcunque vel in certam familiam alienare liceat. *c. vnic. de alienatione feud. §. si clientulus. verb. si vero*, ibique *Affl. num. 39. c. vn. de feud. non habent. propr. nat.* Similiter huc pactum feudi retinendi pertinet, licet intra terminum inuestituram non petierit. *Sylvan. de feud. recognit. num. 70.* Pactum item testandi, vt vasallo de eo liceat disponere. *Intrigliol. quest. feud. 10. num. 39. & seq.* quo tamen casu Ecclesiæ vtpote nunquam intermorituræ absque speciali conuentione relinqui non debet.

g) Cuiusmodi apud feudistas nobile illud pactum legis commissoriæ censetur. *c. vn. de feud. d. in vic. leg. c.* Item quæ bonis moribus aduersantur, & ansam peccandi præbent: veluti ne ob feloniam quis feudo cadat, *argumento l. 5. ff. de pact. dot.* *Iacob. de S. Georg. in tr. de feud. num. 71.* *Moz. de natur. feud. num. 34.* *Schrad. 2. p. 10. num. 27.* *Rosenthal. 6. conclus. 23.* Etenim dolus futurus nemini remitti potest. *l. 23. de R. I. l. 17. commod. l. 16. 17. depositi.* Item, vt seruitia præstentur in honesta & turpia, qualia meretricia illa sunt in corporis vsura ad libidinem subsistentia. Quæ ante rei traditionem pœnitidine concidunt, cum corporis quæstum alleganti, doli exceptione occurratur. *l. 8. de condic. ob turpem causam.* Quid vero in iis, vbi pro huiusmodi spurco vsu traditio facta est? Ob turpitudinis notam quæ vtriusque vel potius solius dantis est, possidens domino repetenti præfertur. *l. 3. 4. §. 1. & 3. de condic. ob turp. c. l. 8. de dol. except.* Ita vt maneat feudum, sed francum, vel tale, quale turpium iam in honestiora mutatorum seruitiorum fert natura, *Rosenthal. d. c. Schrad. p. 2. c. 2. num. 19.* *Dissen. Laud. 2. F. 2. §. fin. num. 18.* domino repetitionem per conditionem ob causam indulgens. Alias pacti hoc loco meminisse solent *Interpp. de feudi amissione propter delictum filii: An reliquis huius ordinis annumerabitur?* Ita *Iacob. de S. Georg. ver. qui quid. num. 72. & alii.* Nos contrarium tenebimus. *Schrader. p. 9. c. 1. num. 2.* Nam si ad certum tempus, ad conditionem, quæ nulla prouidentia vasalli potest caueri, detur, quidni hic? Vbi ex pacto, & ob prauam filii educationem quodammodo plecti pater censetur. Elegans autem *Rosenthalio* hæc circiter mouetur quæstio: Si non amissionem, sed pœnam, dominus stipuletur ex facto, quod sui natura amissionem feudi importet: An vtraque mulctandus talis transgressor veniat? Placet eius decisio negatiua: vtpote cum vtraque ex vna & eadem causa descendat, vtraque ad vindictam tendat.

## IIX.

Inuestitura ex parte domini facta, consequens est, vt vasallus iuret fidelitatem *a*, vel in propria persona, vel aliena procuratoria *b* a domino agnita & approbata *c*, & mandatum speciale habente *d*.

a) Vnde absolute fidelis, qui fidelitatem, hoc est, fidei promissionem in seruitiis & auxiliis nomine feudi facit, idq; vt plurimum iuramento in sex isthæc: Incolume, Tutum honest. &c. directo, *c. vn. per quos f. inv. in f. c. vn. quæ fuit pr. c. b. §. est & alia, c. vn. de Capit. Conradi in pr. Borch. 7. n. 37.* Quod iuramentum regulariter præstandum est, conuentione non remissum, [vbi tamen nihilominus ad omnia illa quæ alias iuramento continentur est obligatus Struv. *c. 8. th. 6. n. 3.*] Borch. *d. l. seu modicum seu magnum feudum fit, Rosent. 6. concl. 67.* Curt. Iun. *p. 3. n. 14. de feud. Vult. 7. n. 39.* Vtut speciales Curia in modicis conuiuent ex consuetudine. Etiam si francū sit, quod seruitiis exceptis, cætera in naturalibus feudi terminis residet, Rosent. *6. concl. 39. l. c. & d.* In formulis iuramentorum aliquot occupati sunt feudorum tituli, *c. vn. qualiter iurare deb. v. c. vnic. de forma fidel. c. vnic. de noua form. fidel. & c.* post curia specialem morem vnice obseruandis. Ipsi porro inuestienti, siue dominus, siue procurator eius, hoc præstari iuramentum, in confesso est. Soline, an vero etiam [separatim] filio eius, domino viuente? Illud tantum. Moz. *de subst. f. n. 15.* [Simul autem cum Domino etiam successoribus generaliter iurari solet, quod tamen non officit futuro speciali iuramento successoribus præstando Struv. *c. 1b. t. e. 5. n. 3.*] Porro controuersum olim fuit inter Feudistas literali sensui nimis inhærentes: Vtrum inuestitura præcedat fidelitatem, an vero hæc illam eliciat? Decisionem exhibent, *c. vn. quid præced. deb. vbi Ifern. Aluar. & alii c. vn. de nou. form. fidel. in f. c. vn. quid sit inv.* Curt. Iun. *p. 2. de feud. Laic n. 37.* [Scilicet regulariter præcedit inuestitura, sequitur iuramentum, huius tamen promissio inuestituram antecedere potest. Struv. *d. l. n. 7.* Confer tamen Itterum *c. 9. §. 41. in fin.* vbi in seqq. §§. prolixè, de Vsu Iuramenti huius in Imperio nostro, agit.] Cui tam superstitiose ne inhæreamus, vt præposterationem actui officere existimemus, *per §. ante hered. I. de leg. l. talem, in pr. de hered. inst. Schr. p. 5. c. 3. n. 5.* Schenck. *ad c. 1. quid præced. d.* Rosent. *6. concl. 13. n. 13.* Quo pacto autem occurratur negligentibus vel domino vel vasallo, in quaestionem itidem vocatur maxime dubiam: Quoad illum Wesenb. *c. 8. n. 2.* exspectandam vasallo domini vocationem esse ait. Quod volenti consultum sit: Nolenti enim & suspectam istiusmodi moram habenti offerre se, & sistere integrum erit. Si vero tantum in propria mora fiat, ad omnem vtilitatem inuestito tenetur, *Zaf. n. 12. Borch. 7. n. 29. Curt. Iun. de feud. n. 56. per t. 4.* Sed

velum

velum tergiversationi prætendat forsan dominus, eo quod petendo inuestituras non fecerit vasallus fidelitatis mentionem? Nihil levabit, modo non expresse denegarit, Rosenth. 6. conclus. 66. l. c. Quoad hunc, vasallum scilicet, mens Aluar. est, ut tribus in specie citationibus vasalli contumaciam manifestet, atque se ita exceptione a vasallo, sero nimis in viam redeunte liberet, c. 8. n. 2. Moz. n. 53. Rosenth. 6. concl. 43. l. e. Nec domini causam grauabit, quod iuramentum vasallo reddere noluerit: vices enim hic dispares.

b) *s. sed utrum per quos f. in b.* Paris de Put. de redintegr. feud. c. 148. n. 3. [Ludwel. Tr. de Renouatione Inuestitura c. 1. p. 339. Tutor tamen & Curator nomine pupilli vel minoris hoc iuramentum non præstat, sed differt, vsque dum ipsi id præstare possint. Struv. c. 8. th. 6. n. 6.]

c) Ex iusta siquidem causa ad vasallum videndum instare potest dominus, ut noscat, cui vitam & fortunas committere debeat, Pistor. q. 47. n. 59. And. de Isern. & Matth. de Afflic. in c. 1. n. 57. quo tempore mil. Schneid. p. 5. n. 88. Intrigl. q. 56. n. 234. quod Bodino 1. de Republ. c. 11. vnice placet. [Struv. d. th. 6. n. 5.]


d) Ob iuramenti scilicet præstationem. Quod si in continenti non fiat, sed in aliud reiiciatur tempus, etiam absque eo, modo ratum, quod actum est, habeatur. Moz. de subst. feud. n. 16. Sylv. de feud. recogn. q. 94. Zas. p. 7. n. 20. Molinæus in consuet. Par. t. 1. s. 49. Iacob. de St. Georg. vers. qui quidem, n. 10.

## IX.

Colophonem imponent huc pertinentes duæ quæstiones. i. An ex inuestitura abusiva (vbi fit in propria) dominium & possessio transeant a? quam excipit altera hæc. Num cogi præcise ad traditionem dominus possit b.

a) Præsupposito, ne nos difficili inuoluamus disputationi, dominio utili: Duareni tamen sententiam & post eum Niellii fere singularem probare non possumus, quam c. 7. n. 6. defendit. Etenim non tantum, quod nostra communis & recepta sit. Zas. p. 5. n. 16. p. 6. n. 10. Schneid. p. 4. n. 10. Schrad. p. 5. c. 2. n. 15. VVesemb. c. 8. n. 18. Rosenth. c. 1. concl. 6. c. 2. concl. 58. Sed ob l. traditionibus. C. de pact. vbi Donell. & 4. comment. 17. item l. 8. C. de action. empt. Neque sane adeo aduersariorum argumenta stringere videntur, ut ad inuia hæc diuertamus.

b) Expressus textus c. 8. n. 2. de f. def. s. si facta. & c. 8. n. 2. de inuestit. f. contro. f. hoc negantes arguit. Etiam in iis, qui cum Imperio sunt & diademate fulgent; Rosenth. 6. concl. 6. in f. lit. g. Hac tamen admissa restrictione: si facultatem tradendi dominus habuerit, VVesemb. conf. 64. n. 3. Quid agendum, si non in præsentiarum habeat, possit autem si velit, facili via, & sine impendiis habere, ab alio reuocando? Vtrique eam ingrediatur, & vanciam rei præstet possessionem. Ecce vero si dolo suo istam facultatem perdidit? In litem facilius forsan iurabitur, qua reliquum nihil variamus. Rosenth. 6. concl. 8. Aliud dicemus si possit tradere, ex pertinacia autem nolit: tum enim aut manum militarem implorabimus: aut ad feudi priuationem actionem formabimus: Quali rigori nuda feudi promissio non est subiecta. Moz. de subst. f. n. 38. Clar. s. feudum, q. 26. n. 3. Per pactum vel contractum promissio facta sit, perinde habemus. Rosent. 6. concl. 5. lit. c. At vero quid statuendum, si interrim feloniam committatur? Releuabitne dominum a traditione? In notoria, vel ea quæ facili probacionis est, hoc affirmamus, Laud. c. 1. s. in super. n. 1. de prohib. feud. alien. per Frider. & ibi Aluarot. n. 3. & 4. secus si indaginem requirat.



Halle, Diss., 1698 J.S. Stryk

ULB Halle 3  
002 275 21X




f

sb.

WDA







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

2. s. 1698 13d 4  
ANTONII, IC.  
FEVDALIS IV

ER INVE-  
M CONSTI-  
ONE

ex Iure Publico,  
Illustris Dn. de RHEZ  
FRIDERICIANA,  
I D E

ESTRYKIO  
e Publ. Ordinario,

R. MDCXCIIX  
publicæ submittit  
NVS de KROSIGK,  
eburgicus.

EBURGICAE,  
EÆ ZEITLERI, AC, TYP.

